

divina officia negligunt & chorum deserunt celebrationis causa.

V. A. hinc citata Synodus Cameracensis cap. 7. "Favor studiorum eos, quia docendum in ipsis Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, vel in Universitatibus (quoad beneficia quae in ipsis Universitatibus possident) obligantur, iis diebus, quibus acta docebunt, aut publicis disputationibus intererunt, pro praesentibus habendos esse statuit, modo duabus de Majoribus in die intersint."

Evidens est juxta hujus Synodi Decretum, quod Professores Academici, qui vi suarum lectionum sunt Canonici, debent haberi pro praesentibus, in iis saltem Floris, quibus actu in lectionibus & disputationibus publicis occupantur: contrarium tamen de consuetudine obtinere manifestissimum asserit Zypæus De Clericis non resid. num. 40. qui ibidem quoque multis probat, maxime dependere à consuetudine & ordinatione Ecclesiarum, quae sic dicenda Ecclesia utilitas aut necessitas, ut distributiones absentibus dari possint.

Qui ergo sine probata causa, secundum jam dicta, "per se, sonaliter competens sibi officium juxta formam ab Episcopo praescribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus (ait Synodus Trid. Sess. 22. cap. 3. De reform.) quoquo modo dominium acquirant, sed fabrica Ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur."

VI. Verum quoad applicationem portionis quae absentibus cedere deberet, aliter in plerisque Ecclesiis usus obtinet.

Cum enim bona Ecclesiae, sive Fabricae soleant esse distincta & separata à bonis Canonorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiae, sive mensa Capitulari, quoad distri-

butiones absentium, usus habet; ut si singulis Canonis & Beneficiatis certa portio assignata sit, seu cuilibet qui Divinis interfuert, detur certa quantitas, tunc portio absentis, sive id quod superest, inter praesentes non dividitur, sed manet in massa communi: si verò certa portio seu quantitas singulis non sit assignata, sed una omnibus, quae inter praesentes sit distribuenda, tunc portio absentium manet apud praesentes; augeturque propter absentiam aliorum; idque non tam jure accrescendi, quam non decrescendi, ut loquuntur jurisperiti.

Hæc tamen intelligi debent quoad prius membrum, si portiones desumantur ex massa seu bonis Capitularibus: si enim v. g. ab hæredibus defuncti singulis Canonis aut Beneficiatis detur certa quantitas in exequiis aut sepulchris, absentium portiones manebunt apud hæredes. Similiter hæc omnia intelligenda sunt, nisi alia consuetudo Ecclesiae quoad hanc appellationem obtineat: Vide Garciam de Beneficiis parte 3. cap. 2. num. 443. & seqq.

"Similiter dicendum est, ait Garcias dicto loco n. 449. de fructibus Præbendæ amissis ob non residentiam, vel alias, quod si in Ecclesia non sunt præbendæ distinctæ, nec est facta divisio reddituum inter Ecclesiam & ejus Ministros, sed patrimonio & bonis Ecclesiae dantur præbendæ, & redditus Ministris assignata cuilibet certa portione, tunc fructus amissi ad ipsam Ecclesiam pertinent; si verò est mensa Capitularis & massa communis Canonorum & Beneficiatorum distincta à patrimonio Ecclesiae, seu fabricæ, quae inter residentes pro suis præbendis dividitur, ut communiter est in Ecclesiis Hispaniæ, tunc portio absentium, seu aliis amissa in mensa Capitulari remaneat cum reliquis ejusdem functionibus inter residentes dividenda."

TITULUS VIII.

De Capitulo Cathedrali.

CAPUT I.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Senatum repræsentat & unum cum Episcopo corpus constituit.

1. Primis Saculis Presbyteri & Diaconi unum cum Episcopo Ecclesia Senatum componebant.
2. In eorum locum successit Capitulum Cathedralis.
3. Capitulum Cathedralis esse Senatum Ecclesiae probatur.
4. Capitulum Cathedralis tamquam Senatus Ecclesiae præcedit cetera corpora Ecclesiastica.
5. Etiam Magistratum Civilem.
6. Singuli Canonici Cathedralis præcedunt omnium inferiorum Ecclesiarum Canonicos.
7. Canonici Cathedralis ut singuli in dignitate non sunt constituti, ad eam tamen accedunt.

Rimis nascentis Ecclesiae sæculis Presbyteri & Diaconi in civitate Episcopali curam Animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constituiebant, Senatumque formabant, quos idcirco Vir Apostolicus B. Ignatius Martyr scribens ad Magnetianos ait esse loco Senatus Apostolici. Et in Epistola ad Trallianos vocat Consistorium sacrum, Consiliarios & Assessores Episcopi. De quibus & Hieronymus in Cap. 3. Isaia. Et nos habemus, inquit, in Ecclesia Senatum nostrum, Catam Presbyterorum.

II. Subsequentibus sæculis paulatim presbyterorum Clericorumque numero crescente, coeperunt Episcopi à Clero quosdam eligere sibi que propriis assignare, quorum consilio & opera Diocesim suam regerent, quos posterior ætas Ca-

nonicos Cathedralis tamquam Cathedralis Episcopali propriis adherentes, & eorum Cœtum Capitulum Cathedralis vocavit.

III. Porro quemadmodum antiquitus Presbyteri & Diaconi civitatis Episcopalis Senatum Episcopi, atque unum cum Episcopo corpus formabant, sic Capitulum Cathedralis, quod huic Presbyterorum & Diaconorum Cœui successit, Senatum Ecclesiae, & unum cum Episcopo corpus constituere dicitur.

Unde monet Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 12. De reform. Canonicos Cathedralis, "ut vestitu decenti tam in Ecclesia quam extra assidue utantur; ab illicitisque ventionibus, aucupis, choreis, tabernis, lussibusque abstinant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possit."

Et Synodus Burdigalensis anno 24. currentis sæculi 9. §. 8. "Decet Metropolitanam Ecclesiam & alias Cathedralis Ecclesias eas personas ita probitate & scientia commendas, datas ad Canonicatus eligere & assumere, in eorumque Corpore Capituli coalescens Senatus Episcoporum, inde consilium accersant, merito dici possit."

IV. Porro quia Capitulum Cathedralis ipsum quodammodo totius Diocesis Clerum repræsentat, atque unum cum Episcopo Senatum ac Corpus constituit, etiam prærogativa præcipua gaudet, cæteraque omnia Corpora Ecclesiastica præcedit. Hinc concludit Chassanæus in Catalogo gloriae mundi parte 4. confid. 32. quod "Abbatibus debent supercedere Canonici Ecclesiae Cathedralis, nec debent eos præcedere, maxime quando processionaliter procedunt, & ita quasi universaliter servatur, maxime in Regno Franciæ, ubi semper Ecclesiae Cathedralis præferuntur in quibuscumque Processionibus & aliis actibus Ecclesiasticis."

V. Cumque quaestio incidisset inter Capitula Cathedralia & Magistratus Civiles super præcedentia, hæc non semel in contradictorio judicio Capitulo Cathedrali utpote Senatum Eccl-

Ecclesiae repræsentanti adjudicata fuit; atque generaliter Rex Galliae declaravit 8. Februarii 1637. Canonicos Cathedralis esse manutenendos in præcedentia in omnibus Conventibus publicis & privatis ante Officiarios & Magistratus, etiam Senatus Regios Præfidentiales ut vocant, sive Curiarum subalternarum, ita ut Corpus Canonicorum præcedat Corpus Officiariorum; & singuli Canonici singulos Officiarios. Vide Acta Cleri Gallicani tom. 1. tit. 1. cap. 8. num. 28. & seqq.

VI. Quin & singuli Canonici Cathedralis præcedunt singulos Canonicos omnium inferiorum Ecclesiarum, possuntque Canonici Cathedralis juxta Innocentium III. in Cap. SEDES APOSTOLICA De rescriptis dici Clerici primi gradus, alii autem Clerici secundi gradus.

VII. Quia tamen singuli Canonici propriè non constituunt Senatum, aut Corpus ipsam Ecclesiam Cathedralis repræsentans; neque jurisdictio, autoritas singulis Canonis, sed Corpori competit; singuli quoque Canonici Cathedralis Dignitatem habere non dicuntur; distinguunturque à constitutis in dignitate in Cap. STATUTUM De rescriptis in VI. ut notat Zypæus Consult. 2. De Majorie. & obed. Docetque Canonicos Cathedralis ut singulos cedere debere Decanis, Præpositis aliisque in dignitate constitutis, etiam Ecclesiarum Collegiarum: quamquam & in his consuetudo locorum varia esse possit, quae in similibus attendenda, ut rectè monet Chassanæus in Catalogo gloriae mundi parte 4. Conf. 38.

Prærogativa quidem horum Canonicorum vel in hoc elucet, quod ipsi Judices à Sede Apostolica in partibus delegari queant, quod nulli alteri de Clero præterquam in dignitate constituto conceditur.

CAPUT II.

Capitulum Cathedralis quantumvis exemptum debet Episcopo tamquam Capiti reverentiam & honorem exhibere; & in quibus hæc consistant?

1. Episcopus semper habuit Caput sui Cleri.
2. Capitulum Cathedralis cum pro tali agnoscere debet.
3. Capitula Cathedralia deserta à viâ communi à jurisdictione Episcoporum se eximere coeperunt.
4. Synodus Trid. voluit præcipuum honorem adhiberi Episcopo, non obstante exemptione.
5. Nulla exemptio excusare potest Capitula ab exhibendis us que sunt honoris & reverentiae.
6. Capitula etiam exempta impedire nequeunt ut Episcopus solemniter ad suam cathedram deducatur; eique benedictionem danti se inclinare debent.
7. Episcopo in Ecclesia Cathedrali etiam exempta prima & honorabilior Sedes sæpius adjudicata.
8. Non obstante exemptione Canonici opera & consilio Episcopo assistere debent; & ad postulationem Episcopi congregationem indicere.

Otius Cleri Episcopus Caput esse, eique præcipuum agendorum in sua Diocesi curam incumbere indubitatum est. Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. Can. 35. apud Gratianum Dist. 95. Can. 10. "Ut Episcopus in Ecclesia & consensu Presbyterorum sublimior sedeat." Et illud Viri Apostolici S. Ignatii in Epistola ad Smyrnenis: "Omnes Episcopum sequemini, ut Christum, Patrem, & Presbyterorum Collegium ut Apostolos. Et Diaconos reveremini ut ex Dei præcepto ministrantes. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant."

II. Cum verò Capitulum Cathedralis præcipuum Cleri partem constituat, atque totius Diocesis quodammodo Van Espen Jur. Eccl. P. I.

Clerum repræsentet, Senatumque componat; Hierarchicus Ordo atque Episcopalis dignitas exigunt, ut Capituli Cathedralis Caput ac Praefes sit Episcopus; ipsi quoque ut talem Canonici reverentur, atque suscipiant, uti respondit Alexander III. in Cap. NOVIT De his qua sunt a Prælato sine consensu Capituli.

III. Vita communi Canonicorum durante, quando Canonici, quos hodie Cathedralis dicimus, cum Episcopo, atque sub ejus directione in communi vivebant, perfectissima erat capitis & membrorum conjunctio: At vita communi in singularem mutata, ipsiusque Capitulum proventibus ab Episcopalis separatis, coeperunt Canonici non secus ac Monachi à jurisdictione Episcoporum querere exemptiones.

IV. Quas exemptiones utpote Episcopis in præcipuam sui Cleri partem subtrahentes auctoritatem; atque liberius delinquendi facultatem Canonicorum foventes, aboleri, ipsaque Capitula Cathedralia ad pristinam subjectionem Episcopi reducere desiderantes Patres Tridentini: nonnulla decrevere, quae temporum ac rerum conditio patiebantur pro restituenda Episcopali in Capitula Cathedralia auctoritate Sess. 25. c. 6. De reform. "atque inter alia, ut Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro, & in Capitulo, in Processionibus & aliis actibus publicis sit prima sedes & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas."

V. E. sanè, non obstante quacumque exemptione, Episcopus manet Caput & Primarius Pastor, ac Pater sui Cleri, ac totius Ecclesiae sibi creditæ, ideoque nullatenus Canonici, quantumvis exempti à jurisdictione Episcopi, ipsi negare possunt, quae honoris ac reverentiae sunt, non magis quam filius emancipatus naturalia illa obsequii & honoris jura negare queat Patri suo naturali; uti rectè observat Carolus Fevretius Tract. De abusu lib. 3. cap. 1. cum nusquam exempti liberi esse censentur, inquit, ab obsequio reverentiae.

VI. Hac de causa Capitula quantumvis exempta impedire nequeunt, quo minus Episcopus in Pontificalibus incedens per Apparitores, & accensos suos, cum suis respectivè sceptis & virgis ad Cathedram suam deducatur; dictique Ministri sua loca prope Episcopum, quo præsto esse queant in ejus servitio, obtineant; quemadmodum ibidem notat Fevretius, qui & ibidem notat, quam injustè ac parum Christianè quidam Canonici prætenderent vi suae exemptionis se eximere à genuflexione, aut corporis inclinatione cum reliquo populo, dum Episcopus solemniter benedictionem impertitur; atque ab hac sua prætenfa denegatione destituisse, cum præviderent se à Senatu Cathedrali, cujus protectionem Episcopus imploraverat, certo condemnandos.

VII. Uterius ex Decreto Synodi Tridentinae, Episcopis "in omnibus actibus publicis, & in choro debetur prima sedes & locus quem ipse elegerit," idque rursus non obstante quacumque Capituli exemptione à jurisdictione Episcopi eo quod hæc juribus & obsequiis honorificis atque reverentialibus, ratione characteris Episcopalis debitis, minime deroget.

Quapropter Episcopus in sua Ecclesia Cathedrali; tametsi exempta potest habere sedem seu thronum elevatum, uti judicatum in Parlamento Regio pro Episcopo Catalaunensi contra suum Capitulum 15. Feb. 1664. ex Renato Choppino refert Fevretius L. 3. c. 3. Similiter cum nonnulli Canonici Ecclesiae Cathedralis Aduensis vellent impedire Episcopum ne cathedrae suae imponeret umbellam quaestione ad Parlamentum Regium delata, declaratum fuit, 14. Mart. 1657. referente ibidem Fevretio, Episcopo liberum esse habere umbellam in cathedra sua elevata ad tres gradus; ad quam possit accedere sive in habitu Pontificali, sive Canonicali, quotiescumque ei liberit.

VIII. Ad hæc, quia Episcopis semper in tacta ac integra manet cura totius Diocesis, atque præcipua omnium rerum gerendarum auctoritas; nec non ipsa Capitula Cathedralia obligentur, quacumque exemptione non refragante, consilio ac opera ei assistere; cum eum in finem fundata

sint & instituta, consequens est, Canonicos negare justè non posse congregationem Capituli, cum eam Episcopus necessarium pro negotiis Ecclesie sue judicaverit. Atque hinc à Senatu Parisiensi 15. Feb. 1564. judicatum fuit, Episcopum Cabilonensem imperare posse, ut cogatur Capitulum, quotiescumque deliberandum erit pro negotiis Ecclesie, aut concernentibus servitium Regis: Carolus Ferrerius li. 3. c. 1.

CAPUT III.

Quomodo Episcopus Capitulis etiam exemptis interveniat.

- 1 Synodus Tridentina voluit ut in Capitulis etiam exemptis Episcopi præsiderent.
- 2 Hoc decretum quantumvis justissimum ubique executioni mandari non potuit.
- 3 Episcopi postularunt unionem præbende suo Episcopatu in Capitulum tamquam Canonici intrare possint.
- 4 Non est novum quod Episcopus in qualitate Canonici Capitulo intersit.
- 5 Unde dignoscatur an interveniat ut Canonici, an ut Prælati.
- 6 Quem locum obtineat dum intervenit ut Canonici.
- 7 Non præsides dum intervenit ut Canonici nisi privilegio aut consuetudine contrarium obtineat.
- 8 Quod suffragium Episcopus in Capitulo habeat.
- 9 Exemptio Capitulum quomodo limitanda.

I. Synodus Tridentina auctoritatem atque jurisdictionem in Capitula sua Cathedralia, quantum temporum conditio patiebatur, Episcopis restituere volens, præter ea, de quibus capite præcedenti, statuit, ut "si Episcopi aliquid Canonici ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant." Sess. 25. cap. 6. De reformat.

Itaque ex mente Patrum Synodi Tridentinae, Episcopi sunt ipsorum Capitulum Moderatores, atque Præsidentium munia & functiones exercent: idque non tantum quoad Capitula jurisdictioni suæ subiecta, sed etiam exempta, utpote de quibus unice in suo Decreto agit Synodus.

Et sanè quid justius ac ipsi Ordini Hierarchico conformius, quam ut in consensu sui Cleri præsideat, ac negotia propolita Præsidentis instar moderetur, qui præcipuum in Hierarchia locum obtinet, atque eminenter omnem Ecclesiasticam auctoritatem, quæ in Clero inferiori reperitur, continet; imò à quo tamquam è fonte in reliquum Clerum defluere debet: ut propterea Episcopatus plenitudinem Sacerdotii, reliqui vero Ordines aut Dignitates Clericales portionem aliquam dumtaxat habere dicantur.

II. Quapropter, uti ex historia Concilii Tridentini intelligitur, votum Patrum erat, eas exemptiones planè abolere; atque Capitula Cathedralia ad plenam Episcopi subjectionem reducere; at temporum ac rerum conditio, aliquam in his moderationem à Concilio extorsit; & nihilominus tamen, uti querantur Patres Concilii Rothomagensis anni 1581. "exemptiones Capitulum, propter quas eorum non potest restitui Ecclesiastica disciplina, nec emendari abusus Ecclesiarum Cathedralium, neque unquam ad hanc moderationem Concilii Tridentini reduci propter Capitulum resistendum multitudinem, eorumque potentiam."

III. Hinc eidem "Episcopi Rothomagensis Provinciae consenserunt salvas manere exemptiones, ne, inquit, propter eas Concilio Provinciali poneretur obstaculum." Deinde subdunt, atque Pontifici exponunt: "Sed salvis illis,

viderunt jam sibi viam paratam à D. Metropolitanò ad ingrediendum Capitula, & eis præsidendum, in ipsisque retormandum omnia. Nam antea Archiepiscopi nostri impetrarunt à Sede Apostolica Bullas ad uniendum Canoniatum & præbendam Archiepiscopatus, ut ita Archiepiscopus tamquam Canonicus intraret Capitulum, quoties vellet, & in ipso præsideret: quo jure nunc etiam utitur, Supplicanti humillimè Episcopi Sanctitati suæ, ut dignetur omnibus ejusdem Provinciae Episcopis Bullam communitatem conferre ad uniendum Episcopatus Canoniatum & præbendam, quam vacantem deligere voluerint, ad instar unionis Archiepiscopi Rothomagensis dudum concessæ, atque ad eundem effectum & finem."

IV. Quod hic dicitur indultum Archiepiscopo Rothomagensi, aliisque ejusdem Provinciae Episcopis indulgeri peccatis, nimirum Episcopatus præbendam & Canoniatum Cathedralium uniri, ut ea mediante tamquam Canonici Capitulo interesse possent, novum non est: nam in Cap. 15. De Concessione Præbende &c. cum quaesitum esset, collatione Præbendarum spectante ad Episcopum & Capitulum, utrum Capitulum negligente intra tempus legitimum collationem, jus conferendi devolveretur ad Episcopum; respondit Innoc. III. collationem non devolvi ad Episcopum, sed secundum Statuta Lateranensis Concilii devolvi ad Superiorem: nisi forte, inquit, non ut Prælati, sed ut Canonici vobiscum jus habeat conferendi, quo responso supponitur, Episcopum interdum ut Prælatus, interdum verò ut Canonici Capitulo intervenire & cum Canonici deliberaret; quod & ad citatum Capitulum uno consensu notarunt Canonici.

Hac similiter distinctione utitur Pontifex in Cap. A collatione De appellationibus in VI. respondens à collatione Beneficii, quæ communiter à Capitulo & Episcopo fit, appellari oportere non ad Episcopum, sed ad ejus Superiorem, si ut Prælatus interveniat, aliàs si ut Canonici, ad ipsum Episcopum esse appellandum.

V. Si verò quaeratur quæ qualitate Episcopus Capitulo intervenire censetur; an tamquam Prælatus & Caput, an tamquam Canonicus sive membrum Capituli, censentur Canonici, quod si in Ecclesia sit statutum, aut vetusta consuetudo, determinans qua qualitate Capitulo Episcopus interveniat, illi standum esse: his verò deficientibus, aut dubiis, tunc decidendum esse ex conjecturis. Quia si Episcopus non tenet primum locum & honorabiliorem, censetur interesse ut Canonici: si autem præsideat & teneat honorabiliorem locum, censetur esse in Capitulo ut Prælatus.

VI. Nam ut post Abbatem in Cap. POSTULASTI De concess. præb. n. 8. passim tradunt Canonici, "ubicumque Prælatus interest in aliquo Collegio, non ut Prælatus illius Collegii, sed ut singularis illius Collegii, non debet tenere Caput illius Collegii; licet persona sua seu dignitas sit in se honorabilior, quam dignitas Præsidentis in illo Collegio: quia non stat ibi tamquam constitutus in sua dignitate; sed tamquam singularis de Collegio." Hæc Abbas & post ipsum communiter Canonici, & inter alios Fagnanus ad citatum Capitulum Postulasti; qui & addit; quod Episcopus qui est Canonicus in sua Ecclesia, & ut talis Capitulo intervenit, debeat sedere immediate post eum qui præest Capitulo: si autem in aliena Ecclesia habeat Canoniatum, debeat sedere in loco Canonicatus. "Sicut præfens, ait, in Basilica S. Petri Patriarcha Hierosolymitanus, qui est etiam Canonicus, sedet in choro post Canonicos ante ipsum receptos."

VII. Quod dicitur Archiepiscopo Rothomagensi assistens Capitulo ratione Canonicatus suo Archiepiscopatus annexi, dicitur in Capitulo præsidere, consuetudini aut privilegio tribuendum est: quod sanè & dignitati Episcopali & disciplinae primitivæ & puriori admodum consentaneum est. In erectione quoque novorum Episcopatum Belgii, annexus sive incorporatus fuit Canoniatu seu præbenda mensæ Episcopali, ratione cujus Episcopus persona

sona Capitularis sit, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habeat.

VIII. Illud insuper notat Glossographus ad allegatum Capitulum à collatione, & post eum Canonici, quod Episcopus interveniens Capitulo ut Canonicus, habeat vocem, & sua vox augeat numerum: si autem ut Prælatus, non habeat vocem, sed solum habeat potestatem concludendi secundum majorem partem Capituli.

Hoc tamen Glossographi dictam intelligi debet de voce absoluta, non autem de decisiva in paritate, quæ in omni Congregatione Præsidenti & concludenti competere solet.

Insuper dictum illud Glossographi intellige, nisi consuetudo aut speciale statutum Episcopo aliquid amplius deferatur: uti Bulla erectionis novorum Episcopatum Belgii, in electione Canonicorum Graduatorum dat Episcopo tamquam Canonico primum suffragium æquivalens suffragio unius & reliquis Canonici Graduatæ, ac insuper in paritate suffragium decisivum, sive paritatem dirimens.

CAPUT IV.

In quibus Episcopus teneatur Consilium vel consensum Capituli petere.

- 1 Olim Episcopi Presbyterorum & Diaconorum consilio utebantur.
- 2 In decidendis causis Episcopo assistebant.
- 3 In locum Diaconorum & Presbyterorum successit Capitulum Cathedrali.
- 4 Canonici Cathedralis in regimine Ecclesia opera & consilio Episcopo assistere debent.
- 5 Episcopus consilium petere, non tamen sequi, ordinariè tenetur.
- 6 In collatione beneficiorum interdum consensum Capituli habere debet.
- 7 Consensus Capituli requiritur in alienatione bonorum.
- 8 Item in unione beneficiorum.
- 9 Moribus Belgu loco Capituli interdum succedit Vicarius.

I. Quamquam penes Episcopos præcipua semper fuerit in Ecclesie regimine auctoritas; ac tamquam summi Sacerdotes, ipsamque plenitudinem Sacerdotii obtinentes fuerint considerati, nihilominus ab ipsis Ecclesie primordiis, fuit & Presbyterorum, Diaconorumque Ordo & cæterus, quorum consilio & opera Episcopi in Ecclesie regimine uterentur.

Hinc illud Cypriani ad Presbyteros & Diaconos suos Epist. 5. "Quamquam causa compelleret, ut ipse ad vos perire & venire deberem: primò cupiditate & desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est, tum deinde ut ea quæ circa Ecclesie gubernaculum utilitas communis exposit, tractare simul & plurimorum consilio limare possemus." &c. Et infra: "Ad id verò quod scripserunt mihi Presbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, solus rescribere nihil potui: quando à primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere."

Cui consonat illud S. Ignatii: Revereantur omnes Episcopus, ut Jesum Christum existentem Filium Patris; Presbyteros autem ut consilium Dei & conjunctionem Apostolorum. Epist. ad Tarcentes.

II. Hac de causa videmus passim Sacros Canones in judiciis causarumque decisionibus Presbyteros Diaconosque Episcopis jungere: imò ex Concilio Carthagini. IV. Can. 23. refert Gratianus 15. q. 7. C. in 6. "Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum: alioquin

irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia consuetur.

III. Cum ergo Capitulum cathedrali præcipuum Cleri portionem; unumque cum ipso Episcopo corpus Seriatumque constituat, pristinumque Presbyterium, quo in consilio nihil majoris momenti Episcopi in negotiis Ecclesiasticis expedire consueverant, repræsenteret; æquum justumque, atque regimini Ecclesie convenire judicatum est, ut Episcopi in regimine & administratione Ecclesie suæ Canonicorum Cathedralium opera & consilio uterentur, imò & in quibusdam nec sine eorum assensu procedere possent.

Et quidem ad Patriarcham Hierosolymitanum scribit Alexander III. in Cap. NOVIT. De his qua sunt à Prælato sine consensu Capituli. "Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesie tuæ negotiis uti; cum id non sit dubium, & honestati tuæ & SS. Patrum constitutionibus contraire."

Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum canonicorum S. Sepulchri, Abbates & Abbatias & alias Ecclesiasticas personas instituis & destituas. Ideoque id auctoritate Apostolica prohibemus, Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis.

Et in Cap. QUANTO eod. titulus eidem rescribit, "Quia non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commissa Ecclesie consilium Fratrum tuorum postponere, cum quibus unum corpus existere comprobatis, Fratritati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & aliis Ecclesie tuæ negotiis Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio vel sanioris partis eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipas & evellas."

IV. Juxta modernam prout Ecclesie disciplinam Episcopus Canonicos cathedrales ut suum Senatorem, cujus consilio Ecclesiam suam administrat, suscipere tenetur: ipsique Canonici sedulo expendere: "Canoniatum ac Præbendam instituendi rationem & causam hanc fuisse, ut bene monuit Cardinalis Polus in Decreto De reformat. Cleri Anglicani, ut qui ad eas assumuntur, Episcopo assistant, eumque in muneri sui functione consilio & opera adjuvent, in Divinis celebrandis Ecclesie inserviant."

Hac de causa Canonicos Cathedralis monuit magnus ille Gandensium Antistes Guilielmus Lindanus. "Ut nulla ratione putarent se apud Deum excusari, si solum Officio recitando occupentur: in primis verò, ait, per Germaniam, qui ad docendum Episcopoque suo serviendum præcipue sunt à Carolo Magno instituti, quemadmodum tabularum foundationum sonant." Par. Apologia.

V. Verum tamen Ecclesie mens sit, ut Episcopi in Ecclesiarum administratione arduisque negotiis consilio Fratrum suorum sive Canonicorum utantur, præcipuum tamen auctoritatem arbitriumque penes Episcopum esse vult; ut ipse audito & maturè expensio Canonicorum consilio id decernat, quod Ecclesie hic & nunc magis expedire judicaverit.

Qui enim aliquos ut Consiliarios sive per modum consilii audire debet, rationes quidem ipsorum expendat justum est; at eorum consilium sequi non tenetur; neque consensum Capituli expectare; nisi id speciali jure expressum sit, communiter tradunt Canonici à Titulo Decretalium de his qua sunt à Prælato sine consensu Capituli, quod S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. par. 3. c. 11. his verbis expressit: "quibus in actionibus aut deliberationibus Oecumenica Synodo Tridentina, aut Provincialibus conciliis constitutum est, de Capituli clerice consilio aliquid agendum esse, non propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse Episcopus existimet, nisi in iis tan-